



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Veritates Christianæ Qvæ Modvm Exhibent Benè Vivendi
Et Benè Moriendi**

Balde, Hendrik

Ipris, 1689

63. Cap. Opera bona etiam exigua in Cælo remunerantur.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56447](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56447)

CAPVT LXIII.

Opera bona etiam exigua in Cælo remunerantur.

Bonorum laborum gloriosus est fructus,
inquit, sapiens.

Minimum gratiæ glorięque donum,
quod vel ob minutissimum bonum opus
homini iusto impertit Deus, præponderat
universo orbi, licet tota terra in aurum,
omnes lapides in adamantes, totumque
mare in balsamum converteretur.

Quod si pro parvis operibus tantam
mercedem retribuatur Deus; magna atque
heroica longè abundantius haud dubiè
remunerabit.

Maximum itaque nobis adferimus dam-
num, si quandò vel levissimam bene agen-
di occasionem præterire sinamus.

Si beati in Cælo dolere possent, tristi-
tiam exanimarentur, quod, cum in vivis dege-
rent, nonnullas exhibendæ virtutis occa-
siones elabi siverint, eumque sibi com-
parare neglexerint gloriæ gradum; quem
innumeros Sanctos modò vident feliciter
adeptos; quia cujuscunque occasionis,
minutissimis etiam operibus Dei causã
prestandis opportuna, accuratam habuere
rationem.

Celum vel momento lucrari possumus non nisi unicâ opus est divinæ gratiæ cooperatione.

Incredibilem igitur faciunt progressum, atque ingentis lætitiæ causam habent, qui cunctos vitæ suæ dies, hebdomadas, menses & annos in divino cultu, variarumque virtutum exercitatione transigunt.

Hoc si rectè novisses, maturèque perpendisses, ad hanc usque diem non tanta tibi fuisset rerum caducarum cura, neque tot bona neglexisses opera. linguam etiam, oculos, aures, voluntatem sæpius refrænasses, nec non fidem, spem, charitatem frequentius exercuisses.

Præstat nummorum pati penuriam, ceterarumque rerum, quæ nobis cum bestis sunt communes, quàm virtutum, quæ & perfectione & gloriâ Angelis nos reddent æquales.

Frustrâ ad sublime fastigium gloriæ entimur in cælis, si pravos nostros appetitus non viriliter coërceamus in terris.

Regnum Cælorum, inquit Christus, non patitur & violenti rapiunt illud.

